

Nf. 23.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRO-RECTOR AC DIRECTOR,
IVSTVS HENNINGIVS
BOEHMERVS,
 POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS SANCTIO-
 RIBVS, ORDINIS ICTORVM PRAESES, VICARIVS,
 ET IVRIVM PROFESSOR ORDINARIVS,
 VNA CVM
CANCELLARIO ET PROFESSORIBVS
 RELIQVIS,
CIVIBVS ACADEMICIS
 DIGNAM MEDITATIONEM
VIRTVTIS
SPIRITVS SANCTI
 ag.
 HUMANISSIME COMMENDAT.

HALAE MAGDEBURGICAE,
 IMPENSIS ORPHANOTROPHEI



ACADEMIAE BEROLINENSIS

VIm virtutemque resurrectionis

CHRISTI, CIVES, τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτῆς, a) non modo eam, quae illius in vitam reditus causa fuit, b) & quae in ipso ex mortuis excitato se exseruit, c) verum etiam isthanc, quae vitae ab illo resumptae effectus est, d) & qua nos eiusdem reddimur participes, e) feris memoriae resurgentis DOMINI sacrificerius meditari sumus, ipso vtrumque hoc paucis verbis, dum, & ego, inquit, viuo, & vos viuetis, f) admodum significanter complectente.

Iam his, qui instant, festis diebus η ὁδηγος τῷ Πνεύματος ἡγίσ, vis atque virtus Spiritus sancti, g) quae cum ista, Petro teste, h) arcuissimo nexo coniuncta est, & ex illa originem trahit, i) meditationem nostram subit, cogitationibus, desideriis & laudibus prosequenda. Atque haec res est, qua CHRISTVS in caelos adscensus omnem illum ἐπαγγελίαν τῷ πατερὶ, k) siue prius ante commemorata, una voce comprehendit, ubi ait: ΛΗΦΕΣΘΕ ΔΥΝΑΜΙΝ ἘΠΕΛΘΟΝΤΟΣ τοῦ ἀγίου πνεύματος εφ' ὑμᾶς, vim accipietis Spiritus sancti, qui vos inuidet, siue, ut posteriora verba latine reddere malamus, Spiritu sancto vos superueniente. l)

Istud igitur DOMINI promissum, agendum, in hac feriarum solemnitate paullo curatius consideremus, dispicentes deinde, num, ad nos etiam illud aliquo modo pertinere, iure putare possumus, & si hoc euictum fuerit, eo cuncta referentes, ut sancto desiderio ita in illud feramur, quo CHRISTVM, quae tum pollicitus est, etiamnum implere, nostro quoque exemplo in gloriam nominis ipsius comprobetur.

In inicio quidem ex iis, quae praecedunt, videmus, occasionem dicto huic CHRISTI dedisse, quod discipuli ipsius congregati sic

- a) Phil. III, 10.
- b) Io. X, 18.
- c) Rom. I, 4.
- d) Eph. I, 19, 20.
- e) II, 5, 6.
- f) Io. XIII, 19.
- g) Rom. XV, 19.

- h) Act. II, 32, 33.
- i) Vid. B. AVG. HERM. FRANCKII Progr. XIII. de nexo resurrectionis Christi & effusionis Spiritus S.
- k) Act. I, 4.
- l) Com. 8.

sic eum interrogarant: DOMINE, an hac tempestate Israe litis regnum instauratus es? Quibus ille, prohibens arcana DEI consilia scrutari, non est vestrum, inquit, tempestates aut tempora nouisse, quae Pater in sua potestate posuit; m) sed, continuo pergit, vim accipietis Spiritus sancti, mihi que testes eritis & Hierosolymae & in tota Iudea & Samaria, denique ad ultimas terras. Quo ipso manifesto docet, iam potius vnicē cogitandam promissionem Spiritus sancti, a quo illo robo re sint instruendi, vt ipsorum testimonio per totum terrarum orbem regnum suum stabiliri possit, idque non terrenum aliquod, sed caeleste & aeternis bonis abundantissimum. Quod utinam sibi dictum putarent ii omnes, qui, dum non nisi de futuris ecclesiae factis solliciti sunt, negligunt fere, eam Spiritus sancti virtutem precipibus ardenteribus a DEO expetere, in qua situm est regnum diuinum, n) & qua sola illud inter homines amplificatur.

Porro autem clare satis patet, orationem DOMINI in primis pertinere ad apostolos, quos testes suos elegerat, o) quibus tamen merito accenserunt ii omnes, qui vna cum illis postea sancto Spiritu repleti sunt. p) Fuere autem hi non ex numero Iudeorum απίστως, sed, ipsius CHRISTI testimonio, iam antea ipsum dilexerant, & eum crediderant a DEO profectum, q) id quod certe sine Spiritus sancti ope, quem ipse apud eos iam tum manere adfirmat, qq) fieri non potuit. r) Eosdem post resurrectionem suam primum ad illos rediens adflauit, & eis dixit: accipite Spiritum sanctum; s) unde manifestum est, illos iam eo tempore uberiori, quam antea, Spiritus mensura donatos fuisse. Nihilominus vero CHRISTVS in caelos adscensus maius quid & illustrius, quam adhuc acceperant, denuo illis pollicetur.

Et generatim quidem repetit ipsam Spiritus sancti promissionem. Scilicet illum ipsum veritatis Spiritum, & hic & alibi a donis suis satis aperte distinctum, iam ante mortem suam saepius receperat, se eis misurum, tamquam παρόλητον illum, qui perpetuo cum ipsis manus, immo etiam in ipsis futurus sit. t) Nondum is erat, seu isthac eminenti modo nondum aderat, quum IESUS nondum gloriosus esse factus, u) nec nisi ipse prius ad patrem discessisset, ad illos venire poterat; unde testatur, ere ipsorum esse, vt discederet, quo facto eum sit

A 2

misfu-

m) Com. 6. 7.

r) 1 Cor. XII, 3.

n) 1 Cor. III, 20.

s) Io. XX, 22.

o) Act. 1, 2. 6. 13.

t) C. XIII, 16. 17.

q) Ioh. XVI, 27.

qq) Cap. XIII, 17.

u) C. VII, 39.

*misuris. x) Iam igitur, quim in eo eset, vt reliquo mundo ad patrem
discederet, y) hanc ἐπαγγελίαν τὸ πατρός, a patre pro ipsis acceptam, iis
dento confirmat.*

Praeditus vero simul Spiritum S. non venturum modo ad ipsos,
sed ἐπελθόντα ἐπιδυτές, sive subito aduentu & sancto impetu *super-*
veniente in quasi ipsos, non alio sensu, quam quo idem in veteri instru-
mento viis DEI ad munus propheticum vel regium inauguratis, vel
ad illustrio facinora patranda & oracula edenda excitatis, protinus
adfuisse, in eos quasi invuisse, sive illapsus esse, eosque gratia vi quasi in-
uasisse, pluribus locis dicitur. z) Quod quidem euentus postea manife-
sto declarat, siquidem narratur Spiritus ille diuinus eorum unicuique,
qui die πεντηκοσής eodem in loco simul fuerant, ita infedis se, ut omnes illa
repleti sint; a) itemque postea in alios etiam illapsus esse, sive eos inuasis-
*se, perhibetur, b) ita, ut ex effectibus illud statim ab omnibus cognosci
posset. Significare igitur discipulis voluit DOMINVS, non ita ven-
turum Spiritum suum, vt neque ab ipsis, neque ab aliis ades se sentien-
dus sit, sed ita potius eos de repente inuaturum, vt animos illorum sit
occupaturus, & ipsos vi virtuteque sua impletos agitaturus, atque ex eo
& omni deinceps tempore efficacissime se praefentem ipso opere fa-
ciliusque testaturus.*

Neque tamen solam spendet, ipsum Spiritum potentissimum
illos inuaturum, sed vbi id factum fuerit, eos ipsis δύναμιν, vim virtute-
temque accepturos esse, ipsam scilicet Spiritus sancti δύναμιν, seu que
tamquam effectus a causa non separandus quidem inquam, at distin-
ctus tamen, ab eo, ipsis iam inhabitante, cum illis communicanda,
sive, isto operante, in animis praeципue eorum producenda sit. At-
que de hac via c. virtute pluribus omnino dicendum erat, si & tem-
poris & instituti ratio id permitteret. Interim, quam fieri poterit, bre-
visime rem explicabimus.

Sciendum vero primo loco est, eamdem & δύναμιν πνεύματος
άγιος c) ex illo scilicet originem habentem, & πνεῦμα δύναμεως, Spi-
ritum roboris sive fortitudinis cc) dici; sicut & generatim alibi omne
id, quod a Spiritu S. tamquam κανόνις c) in homine efficitur, πνεῦμα,
spiritus, dici solet, τῇ σαρκὶ, carni, seu corruptae hominis naturae op-
positum.

x) C. XVI, 7.

y) Com. 28.

z) Ind. XI, 29. c. XIII, 6. 19. e. XV, 14.

Sam. X, 6. 10. c. XVI, 13.

a) Act. II, 1. 3. 4.

b) C. VIII, 16. c. X, 44. c. XI, 15.

c) XVIII, 6.

c) Luc. III, 15. Rom. XV, 17.

cc) 2 Tim. 1, 7.

d) 2 Cor. V, 17.

positum, e) & speciatim fidei donum caeleste, πνεῦμα πίστεως, *Spiritus fidei* adpellatur. f)

Deinde notandum, hanc vocem δυνάμεως aliis duabus, ἐνέργειας g) & εξέστιας, h) subinde in ipso novo instrumento illustrari, quae cum illa nonnunquam coniungi solent. i) Atque isto quidem vocabulo ἐνέργειας, aeque ac verbo ἐνέργεια, ea maxime vis ac virtus Spiritus S. indicatur, quam intra animum hominis exserit, & qua eum aptum acidoneum reddit ad ea peragenda, quae ab illo fieri vult, ipsumque simul efficaci modo ad ea fuscipienda impellit; hoc vero, τῇ εξέστιᾳ, manifesta interioris illius virtutis demonstratio & sermone & operibus diuinis significatur; quorum utrumque una vox δυνάμεως huius comprehendit.

Porro, sicut ipse CHRISTVS sit *caput ecclesiae*, quae eius corpus est, k) *primum genitus in multis fratribus*, l) & in omnibus princeps, εν πᾶσι πρωτεύων, m) quem etiam ad exsequendum in adsumta humana natura μετίτης officium, DEVS sine modo ac mensura *Spiritu dominii*: mm) ita de eodem non modo vatum oraculis praedictum fuit, quod in ipso residere *debeat Spiritus Iehouae*, tamquam *Spiritus fortitudinis*, n) sed & postea Petrus in domo Cornelii testatus est, eum a DEO, uti *Spiritu*, ita & *potestate*, δυνάμει illa, vnde tu fuiste. o) Hinc de illo & hostes profiteri cogebantur: ἐνέργειαν ἐν αὐτῷ αἰ δυνάμεις, p) virtutes diuinæ in ipso & per illum ad producenda stupenda miracula efficacissime se exserunt. Hinc & loquebatur, & agebat, ως εξέστιας έχων, ut *potestate praeditus*, q) eamdemque *potestatem* iam tum etiani aliis dare poterat. r) *Dextra vero DEI euectus*, & plenisime sancti Spiritus *promissum a Patre consequitus*, quo ex se totum Corpus suum, ecclesiam, replere posset, effudiens cum Spiritu ipso illam virtutem uberrime. Pater igitur, in CHRISTO non tantum esse πᾶν τὸ πλήρωμα, t) omnem plenitudinem huius virtutis, sed etiam ex ista eius plenitudine nobis eamdem sumendam esse, u) & ex eain nos deripiari omnem illam δύναμιν, ἐνέργειαν & εξέστιαν, cuius per Spiritum sanctorum participes reddimus.

A 3

- e) Rom. VIII, 1. 4. 5. ect.
f) 2 Cor. III, 13.
g) Eph. III, 16. Col. II, 12.
h) Matth. X, 1.
i) Matth. XIII, 2. Gal. III, 5. Eph. III, 7. 20. Col. I, 29. item Luc. III, 36. c. VIII, 1.
k) Eph. I, 22. 23.

- Addi-
- I) Rom. VIII, 29.
m) Col. I, 18. mm) Io. III, 34.
n) Ef. XI, 2. o) Act. X, 38.
p) Matth. XIII, 2.
q) Matth. VII, 29. Marc. I, 27. Luc. III, 36.
r) Luc. X, 19. s) Act. II, 37.
t) Col. I, 19. u) Io. I, 16.

Addimus etiam hoc, vim virtutemque hanc in ipso capite, CHRISTO, qua humanam eius naturam, antequam ad DEI dextram euerteretur, sensim incrementa cepisse, & ita multo magis in membris eius, etiam praestantissimi, gradus agnosceret; atque in capite nunc quidem πᾶν τὸ πλήρωμα etiam huius δυνάμεως inesse, singulis vero membris tantum diuini illius doni dari, quantum & cuiusque & ecclesiae usus exposcit. CHRISTVS sane de Spiritu S. conceptus inde ab utero diuina virtute plenus exstitit. Nihilominus ad officium πεστίς publice inaugurus, longe vberima mensura Spiritus & δυνάμεως vincere fuit, de quo Petri testimonium iam supra adlegauimus, x) & tamen tum demum ad supremum illius doni gradum pertigit, quem supra omnes caelos adscendit, ut omnia compleret, & dona illa daret hominibus. y) Pari ratione Apostoli, ut supra docuimus, ante CHRISTI supplicium ab omni Spiritu S. operatione & virtute vacui certe non fuerunt. Attamen, quidquid eius fuerit, longe maior tamen & excellenter gradus eius virtutis iis promittitur, eucto ad DEI dextram DOMINO, misisque Spiritu S. ipsis expectandus. Quantuscumque autem & hic gradus fuerit, minime tamen uno quasi momento omnem αὐτέας z) ita fustulit, ut nihil posthac ei virtuti ac vi accedere posset, quem potius in illa ipsa naturae humanae aequa ac per perspicuum imbecillitatem CHRISTI virtus ac fortitudo perficienda ac consummanda esset. a) Et simili modo, licet vnu idemque esset Spiritus, eademque illius virtus, tamen pro discrimine ministeriorum, discrimina etiam donorum & εὐεργηστῶν in ipsa primaecclesia inuenta, nec vni membro ea omnia data sunt, sed tantum cuique, quantum in commodum & salutem totius corporis opus fuit. b)

Denique vox δυνάμεως modo angustiori sensu capitur de eximia quadam & naturae vires superante fortitudine animi, eiusque demonstratione per opera diuina virtute patrata; qua ratione opponitur meu, c) & ipsa miracula, in quibus potentia diuina maxime elucebat, δυνάμεως vocantur. d) Modo eadem ampliori sensu τὰ πάντα τῆς ζειας δυνάμεως, e) quibus CHRISTI membra per Spiritum sanctum impertienda fuerunt, significat, quem etiam huius loci esse exinde putamus, quod vna hac voce DOMINVS omnia illa effert, quae adventante Spiritu S. dona Apostoli erant consequuntur.

His

x) Act. X, 38.

b) 1 Cor. XII, 4-5. 6.

y) Eph. III, 9. 10.

c) 2 Tim. I, 7.

z) 1 Cor. II, 3.

d) Act. XVIII, 11. Ebr. II, 4.

a) 2 Cor. XII, 9.

e) 2 Petr. I, 3.

His igitur praemissis facile patet, quid per diuina hanc, quam immiso diuinitus Spiritus accepturi erant Apostoli, intelligendum putemus. Est enim donorum omnium, naturae vires supererantum, complexus & vberior mensura, sed nouis tamen accessionibus magis magisque augenda; per quae dona animus, primum quidein & praeципue Apostolorum, deinde vero aliorum etiam omnium in Christum credentium, tum qua intellectum, tum qua voluntatem, ea facultate diuiniore fuit instruendus, qua & ipsum corpus, sanctum DEI templum, eiusque membra arma iustitiae efficerentur: quo ita salute per Christum parta plenius perfici posset, & cum ad officia Christiani hominis fortiter exequenda, tum ad muneric sacri partes rite obeundas viribus necessariis pollerent; ea vnicuique portione pro sapientissima DEI oinomia concessa, qua ad omnes totius corporis Christi opus videbatur.

Haud difficulter per singula ire, & hanc qualecumque descriptionem vberius declarare possemus: sed breuitatis causa malumus nonnulla saltem ex praecipuis illis donis, quae diuinas ista complectitur, paucis verbis commemorare. Ad eam igitur pertinet I. lux illa caelestis, in qua excellens DEI potentia, & qua animis Apostolorum ille illuxit, a) ut intelligere posset, & quae ipsis largitus sit, b) & quid velut DEVS, quod bonum acceptum & perfectum sit; bb) II. donum docendi cum demonstratione trivias, c) in ipsis Apostolis cum leonibus & auras, facultate item peregrinis linguis loquendi, coniunctum, ad eamdem lucem vbiique cum insigni effectu profrendam; d) III. Sapientia & prudentia diuina & in tradendo euangelio, e) & in gerendo ev πνεύματι σωφρονίᾳ, ee) omni negotio sacro, tanta, ut nemo resistere posset Sapientiae & spiritui, quo loquebantur, f) vtque ea ipsa sapientes huius saeculi confunderent; g) III. fides in CHRISTVM mascula, gg) ἐλπίς ομένων ὑπόστασις, πρᾶγμα των ἐλεγχοῖς & Ελεπομένων, h) cuius etiam ἐνεργεμένη διάγαγης i) ἐργον consummandum ev δουλεια, k) V. Laetitia & pax animi, ex sensu amoris DEI in animo diffusi, kk) ev τῷ πιστεύειν abundans spe via vita aeternae per hanc ipsam vim spiritus S. l) VI. Fiducia in DEO & diuinae gloriae spe gloriandi per CHRI-

- a) 2 Cor. III, 6. 7.
b) 1 Cor. II, 12. bb) Rom. XII, 2.
c) Com. 4.
d) 2 Cor. III, 6. Rom. XV, 18. 19.
Eph. III, 7. 8. 9.
e) Eph. I, 8. Col. I, 28. 29.

- ee) 2 Tim. I, 7.
f) Act. VI, 9.
g) 1 Cor. I, 19. 20. 25. gg) Act. VI, 5.
h) Ebr. XI, 1. i) Gal. V, 6.
k) 2 Thess. I, 11. kk) Rom. V, 5.
l) Rom. XV, 13.

CHRISTVM, per quem conciliationem sint adsequuti; m) VII. πληροφορία fidelis in aditu ad DEVM, o) qua per Spiritum adoptionis clamarent: Abba, pater; p) VIII. donum precum efficacissimarum, δένσεως ἐνεργειας, multum valentis, q) & ad bona pro se aliisque obtinenda, & ad mala auertenda. VIII. παρόποτα insignis coram ipsis hostibus magna vi testimonium de CHRISTO dandi; r) X. donum miracula edendi per fidei virtutem ad confirmandam euangelii doctrinam; s) XI. vis ac virtus diuina in omnibus iis, quae & ad enecandum veterem hominem cum suis actionibus, ss) effugiendamque τὴν ἀστυνομίαν επιθυμία φθορὰν, & ad εὐσεβειαν & sanctitatem promouendam, atque ad metam suam perducendam spectant, t) qua virtute corporis etiam mortalis membra iustitiae arma praebere possent ad sanctimoniam; tt) XII. amor IESV CHRISTI intensissimus, virgens & exstimplans illos, ut in procuranda aliorum hominum salute ei placendi φιλοτιμίαν ostenderent; u) XIII. zelus ac fervor insignis in omni opere Domini peragendo; x) XIII. fortitudo armis diuinis interrito animo adgrediendi & debellandi quoscumque hostes regni CHRISTI, siue viuifiles illi sunt, siue iniuifiles; y) XV. robur denique animi in quietum in tolerandis laboribus, z) aliorum infirmitate, a) omnibus aduersis, b) & ipsi adeo morte, c) nominis CHRISTI causa.

Sunt sane haec praecipua momenta, quae δύναμις Apostolis a CHRISTO promissa comprehendit, & quibus illa se exserit, quibus facile plura addi, aequi ac haec ipsa vberius declarari & illustrari possent, id quod tamen, ne iusto prolixiores simus, priuatae cuiusque meditationi commendamus. Sufficiat viam commonistrasse, qua in inuestigandis reliquis viterius sancto studio progredi non erit neque difficile, neque inuicendum.

Licet vero multa haec & varia sint χάρισματα, vna tamen eademque est δύναμις, quae illa omnia complectitur, & quidem cum ea, quae

m) Rom. V, 2. II.

n) Ebr. X, 22.

o) Rom. V, 2. Eph. II, 18. c. III, 12.

p) Rom. VIII, 15.

q) Iac. V, 16. Act. III, 31. Io. XVI, 23.

24. 26.

r) Act. III, 8. seqq. 33. c. VIII, 15.

2 Tim. I, 12. c. III, 17.

s) Act. III, 30. Rom. XV, 19. Ebr. XI,

33. 34. ss) Col. III, 9.

t) 2 Petr. I, 3. seqq. 2 Cor. VII, 1. Eph.

III, 16. tt) Rom. VI, 13. 19.

u) 2 Cor. V, 9. 14.

x) Rom. XII, 11. 2 Cor. XI, 2. 28. 29.

y) 2 Cor. X, 4. 5. Eph. VI, 10. seqq.

Phil. I, 27.

z) 2 Cor. XI, 27. 1 Thess. II, 9.

a) 1 Cor. III, 1. 2. 2 Cor. XI, 29. Gal.

VI, 1. 2.

b) Rom. VIII, 17. 18. 35. seqq. 2 Cor. III,

8. 9. Cap. VI, 4. seqq. 2 Tim. II, 10.

c) Act. XX, 24. Apoc. XII, 11.

quae fontis instar est, virtus DOMINI nostri IESV CHRISTI & Spiritus sancti, qui ex iis, quae CHRISTI sunt, sumit, d) tum illa, quam ex inexhausto hoc mari & CHRISTI & suae divinitatis, Apostolis aliquis fidelibus spiritus S. per illustrationem gloriae CHRISTI, intimamque cum illo coniunctionem contulit, ita ut, quamquam haec, quod supra monuimus, ab illa, tamquam effectus a causa, distinguenda merito sit, nunquam tamen ab ea, tamquam fonte, ex quo & continuanda & augenda est, separanda.

Posteaquam vero paulo fusius ipsam hanc divinam considerauimus, paucis addendum est modus, quo illam discipulis CHRISTVS promisit, λέγετε, inquiens, accipietis vim virtutemque. Quod verbum & promissionis & praedictionis vtrumque momentum, tam exhibitionis & collationis ex parte DEI, quam acceptationis & admissionis ex parte discipulorum inuoluit, & fore significat, ut hanc spiritus divinam certo suam faciant, eaque ut possestione aeterna fruantur. Eamdem rem alibi ejus effert, eos induendos esse virtute ex alto. Quemadmodum vero illud verbum eo maxime respicit, quod replendi spiritu S. intra animum virtutem illam, non tantum motibus quibusdam per eam excitatis sentire, quippe quod & απίστοι vel iniuris euenerit, f) sed illam tamquam diuinum donum recipere debeant; ita hic posterior loquendi modus demonstrationem eius divinitatis publicam innuit, qua, illa vi quasi induiti & exornati, ab omnibus conspiciendi sint, non tamquam nudū in infirmitate carnis, sed tamquam vestiti virtute DEI. ff) Omnino vero ante omnia interiores animi facultates ea divinitatis induendae, & vere ea accepta induatae fuerunt, ut deinde etiam in omni vitae habitu & conuersatione eadem agnosciri posset. Vtrumque Paulus coniungit, ubi ita fortitudinem CHRISTI in sua imbecillitate perfici vult, ut ea ipsa fortitudo in illo habitet, siue potius ἐπισυνάσθη ἐπ' αὐτῷ, tamquam tentorium aliquod super ipso expansum eum vnde cumque tegat & circumdet. g)

Atque haec hactenus de vi ac virtute spiritus S. Apostolis promissa disseruimus. Iam id etiam merito disquirendum est, vtrum ad hos solos aliquos illis aequales illud promisum pertineat, an ad alios simil in universum omnes, ut hac etiam tempestate divinitatis illa, ἐπελθόντος τῇ αγίᾳ πνεύματος, ab iis, qui in CHRISTVM credunt, sit exspectanda atque expetenda?

B

d) Io. XVI, 14. 15.

e) Lyc. XXIII, 49.

f) Act. III, 13. lqq. c. V, 33. c. VII, 54.

Vt

ff) 2 Cor. V, 3.

g) 2 Cor. XII, 9. Ef. III, 4; 5. 6.

Vt igitur vltro largimur; esse nonnulla dona, quibus haec
virtus illo tempore conspicua fuit, quae isti aetati magis propria fue-
runt, ea scilicet linguarum peregrinarum & miraculorum *χαρισμα-*
τα, quae in stabilienda primum ecclesia maxime propter *ἀπόστολον* da-
ta fuerunt; gg) esse etiam, quae vberiori modo & tum coneesasunt,
& hac aetate conceduntur, ad publica docendi in ecclesia, eamque
gubernandi munera: ita non modo Petrus testatur, eamdem Spiritu-
tus S. επαγγελίαν, adeoque & virtutem illius, ad omnes pariter per-
nere, qui ordine a DEO praescripto aditum ad eam quaerant, *advo-*
cata ab ipso DOMINO DEO nostro; h) sed etiam Paulus *vim illam*
Spiritus S. eamdem omnibus fidelibus adprecavit, quo per illam *lae-*
titia atque pace compleantur. i) Praeterea vero omnia illa fere, quae
antea recensuimus, dona ita sunt comparata, vt versanti ipsas A-
postolorum epistolas nemini dubium est posse, proponi ea vt omni-
bus Christianis hominibus communia. Quid? quod Paulus, dum
Ephesios hortatur, vt *Spiritu pleni sint* siue repleri studeant, k) fa-
tisne hoc declarat, cum ipso Spiritus πληρωματι, virtutem etiam eius
maiorem omnes, si modo velint, consequi posse? Neque vero est,
quod existimemus, ea illius saeculi hominibus scripta esse. Si enim,
omnium sequentium temporum ecclesiae epistolas illas traditas esse,
negare nolimus, nullum certe vestigium in illis monstrari poterit,
quo promisum illud ita limitetur, vt villa aetas ab eo excludatur.
Ipsam huius δυναμεως per dona, quae extraordinaria vulgo vocantur,
demonstrationem, vt ut illa pro sapienti DEI *κινησια* & hominum
ἀπίστα rariora facta sint, nec temere atque arroganter ab illo adfe-
ctanda, non tamen omnino desissem, omnium saeculorum exemplis
fide dignissimis abunde confirmatur. Et licet dona docendi & alia
eiusdem generis maxime ad *ιανότητα* in munere sacro, cui nisi vo-
catus nemo se temere ingerere debet, conferantur, simul tamen
meminisse decet, omnes vere in CHRISTVM credentes esse ge-
nus *lectum & regale sacerdotium*, vt *virtutes praedicent eius*, qui eos
ex tenebris in suam lucem mirabilem vocavit, l) ad quod, salua *έπαρχια*
ecclesiae, rite peragendum necessaria Spiritus S. δυναμει omnino ha-
biles reddendi sunt. Multo magis vero de reliquis donis omnibus
certum est, eorum omnes ita compotes fieri posse, vt virtutem il-
lam

gg) 1 Cor. XIII, 22.

h) Act. II, 39.

i) Rom. XV, 13.

k) Eph. V, 18. l) 1 Petr. II, 9.

lam etiam se accepisse, eaque induitos esse, & ipsi scire, & alii intelligere possint; id quod ex ipso eorum recensione quum satis clarum sit, vberiori probatione non egere existimamus.

Quum itaque extra omnem dubitationem positum sit, tantam esse DOMINI liberalitatem, ut, quantum ad rem ipsam attinet, eamdem Spiritus S. virtutem, quam Apostoli acceperunt, diuerso lice modo, mensura ac gradu, omnibus petentibus dare velit: aequum sane est, utne oblatum tantum beneficium spernamus, sed intimo potius illius obtainendi desiderio feramur, ac nullis parcamus precibus & flagitationibus, donec eius nos quoque participes factos sentiamus.

Dolendum sane non modo hoc, quod permulti Christianorum hominum nomine prorsus indigni, Spiritum S. longissime a se repellant, nec motibus illius diuinis, quibus eos de misero statu suo convincere, atque ad meliorem frugem perducere studet, ullum apud se locum relinquant; sed etiam hoc, quod multialii, qui quidem & motus illos admittunt, iisque & ad *μετρίωνα* & ad fidei aliqua initia se perduci patiuntur, in his statim subsistunt, nec eo contendunt, ut vere illam a CHRISTO promissam *δύναμιν*, admissa plenius ipso Spiritu sancto, secundum dona illa antea descripta, accipiant.

Hortamus itaque Vos omnes ac singulos, CIVES, primo quidem, ut si adhuc factum non sit, ex peruerso illo hominum genere euadatis, m) quod voluntarii peccatis abigit Spiritum DEI, contra vero animo compuncti diuinum fidei donum feris precibus a DEO expetatis, quo delictorum veriam sanguine IESV CHRISTI adpersi consequamini, & hoc ordine & Spiritus illius participes reddi possitis.

Deinde vero Vos etiam obtestamur, ut serio meditemini, qua ratione CHRISTVS discipulis suis Spiritum S. post abitum suum ad Patrem mittendum promiserit, quomodo promisum impleuerit, & quaenam sit illa *δύναμις*, quam immisso Spiritu isti acceperint, eaque velut induti sint. Atque si intellexeritis, quam longe adhuc ab ea vi ac virtute absitis, cogitate, oramus, quod eam & Vobis consequi haud difficile futurum sit, modo precibus insistatis & importune quasi ac *ἀναδέσητε* eam in nomine CHRISTI efflagitatis. Agite igitur, eum Vobis his diebus finem propositum habeatis, ut maiorem illam vim Spiritus S. CHRISTI gloriam apud Vos illustrantis, & Vos

B 2

im

m) Aq. II, 45.

m) Luc. XI, 8.



in intimam cum illo communionem adducentis, adipiscamini, non
otiose eam exspectantes, sed piam Euangeli meditationem, quod
primarium consequendi Spiritus medium est, cum indefesa ora-
tione ad exemplum Apostolorum coniungentes.


Est quidem hoc praecipue illorum officium, qui in munere sa-
cro aliquando testes CHRISTO in orbe terrarum esse, in animum
suum induxerunt, quo sane recte perfungi non posunt, nisi antea
virtute Spiritus S. tanto negotio apti ac idonei redditi fuerint. At
profecto idem & alios negligere nefas est, qui alias quibuscumque,
quam sacris, studiis operam suam addixerunt, siquidem in ciuitate
DEI DOMINI sui gloriam & aliorum hominum salutem cum effe-
ctu procurare velint. Neque vero id pro onere habendum, sed
potius in summo beneficio ponendum, quod DEVS omnes, ne-
mine posthabito, Spiritus sui vberiori mensura ac diuina virtute dignari paratus est, eoque ipso nos certiores reddere vult, *se in nobis*
manere, o) tamquam in templo suo, quod aeternum in habitaturus &
gloria sua repleturus sit.

Faxit itaque summum Numen, ut cum *gratia DOMINI* no-
stri IESV CHRISTI, & *PATRIS amore*, beatissima *SPIRITVS S.*
xouavia p) nobis adsit, eamque cum ipsis virtute atque solatio & his
diebus, & per omnem, quae reliqua est, vitam nostram abundantissi-
me experiamur. Amen. P.P. in Acad. Frider. ipsi, Vigil.

Festi Pentec. X. Cal. Iun.

CIO CCC XXXIII.

o) 1 Ioh. III, 3. p) 2 Cor. XIII, 3.




Ja 3011

St

WPA

ZB 17



Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

32

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRO-RECTOR AC DIRECTOR,
**IVSTVS HENNINGIUS
 BOEHMERVS,**
 POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS SANCTIO-
 RIBVS, ORDINIS ICTORVM PRAESES VICARIVS,
 ET IVRIVM PROFESSOR ORDINARIVS,
 VNA CVM
CANCELLARIO ET PROFESSORIBVS
 RELIQVIS,
CIVIBVS ACADEMICIS
 DIGNAM MEDITATIONEM
VIRTVTIS
SPIRITVS SANCTI
 HVMANISSIME COMMENDAT

ag.

HALAE MAGDEBURGICAE,
 IMPENSIS ORPHANOTROPHEL

